



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 12. Quandonam iterari debet Confessio?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



ciat ad cognoscenda peccata commissa, consideratis capacitate, & memoriâ pœnitentis, diuturnitate temporis ab ultimâ validâ Confessione transacti, multitudine & qualitate negotiorum, obligationum, occasionum, & consuetudine peccandi, aliisque circumstantiis. Quare non æquale in omnibus requiritur examen, sed in aliis brevius, in aliis longius.

*Q. 12. Quando nam iterari debet Confessio?*

*Resp.* Quoties fuit nulla, sive culpabiliter, sive inculpabiliter; sive ex parte pœnitentis defectu doloris, vel propositi sufficientis, integritatis formalis, vel ob notabilem negligentiam in excutienda conscientia, nisi Confessor eam suppleverit: sive ex parte Confessarii defectu potestatis aut intentionis requisitæ: quia in his casibus Sacramentum fuit nullum, & sic peccata non fuerunt per illud remissa. Omnia autem peccata mortalia debent subjici potestati clavium & remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, ideóque per Confessionem, & Contritionem debitam & absolutionem validam. Idem dic si dubium sit an Confessio irrita fuerit; nam præcepto certo non satisfacit per dubiam executionem, & in dubio pars tutior eligi debet.

*Sed an is qui fecit Confessionem aliquam invalidam, tenetur cum illa omnes subsequentes iterare?*

*Z. 5,*

*Resp.*



*Resp.* Tenetur, si eas fecit cum conscientia Confessionis invalidæ, quia reverâ sunt omnes invalidæ, ob defectum essentialem. At si post unam Confessionem invalidam, postea fecit aliàs cum debita dispositione, & bona fide procedens, præcedentis defectûs nullam habens memoriam: non tenetur, inquit Sylvius, has repetere, sed solum illam, vel illas, quas fecit cum conscientia defectûs: quia illæ aliæ fuerunt validæ, cum habuerint omnia necessaria ad bonam Confessionem.

*Q. 13. An est mortale mentiri in Confessione?*

*Resp. I.* Mortale sacrilegium est omne mendacium in materia Confessionis necessaria, ut si pœnitens falsò neget se commississe mortale nondum legitimè confessum, vel circumstantiam necessariam: vel si neget aliquid aliud grave, quod interrogatus à Confessario tenetur aperire, qualis est peccandi consuetudo, dispositio præsens, &c. Nam tunc in re gravi ad Sacramentum, vel ejus rectam administrationem pertinente decipit Judicem suum, & Medicum à Christo institutum, ut secundum cognitionem per Confessionem partam, & pœnas peccatis proportionatas imponat, & remedia opportuna præscribat. Idem dic, si contra conscientiam falsò asserat se commississe mortale: quia judicem suum, in re gravi ad iudicium Sacramentale pertinente & necessaria decipit, & per illam additionem